

Haraburda Januarius Stanisl: Lelietum Tryznanum.



LILIETVM TRYZNANVM

Jllſſmo ac Rndſſmo Domino

D. MARTIANO TRYZNA

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA

EPISCOPO MALLENSI, COADiutori Epiſcopatus Vilnenſis, Abbati Vachocenſi, Canonico Vilnenſi Trocenſi & Geranonenſi Præpoſito

M. D. L.

PROCANCELLARIO,

Cum nouis in Eccleſia & Republ: auctus honoribus Vilnam primùm ingrederetur.

Per

IANVSSIVM STANISLAVM HARABVRDA
Eloquentiæ Aud: publico Academiæ nomine

EXHIBITVM.

VILNÆ,
Typis Academiæ Societatis IESV
M. DC. XLII.

n.

IN STEMMA Illmi ac Rndssmi Domini D. PROCANCELLARII.



NVnquam florescunt nisi pulchro Lilia vere,
Ver igitur TRYZNÆ Lilia semper habent.
Florida iam poteris semper Lituania dici,
TRYZNARVM, quo sis florida, campus habet.

Illustrissimo Ac Reuerendissimo Domino

D. MARTIANO TRYZNA

PROCANCELLARIO M. D. Lith. Episcopo Mallensi &c. &c.

Domino Colendissimo.

INcolarum à mari Erythræo quondam mos fuit flores, in tributum ferre: nunc ACADEMIÆ VILNENSIS: ILLVSTRISSIME DOMINE. Consuetudinem eius populi edocuit illam, ADVENTVS TVVS; tributariam fecit studium obsequendi. Neq; enim illa poterat fateri sincerius hilaritatem aduenienti, nisi flores porrigeret; neq; nos amæniùs Tua præsentia contingere, nisi LILIA nascerentur. Humanitatis quoque consilium erat, Hospitem per Hortos deducere, in quibus gloriæ compendia legeret, & TRYZNANIS LILIIS spectarentur Musæ Hortulanæ. Atq; vt iucundior apud Te foret hæc animi testificatio, ituro in eruditas manus tuas muneri, LILIA pro signo posuit, ex quibus constaret, in Hortis Palladis pro Te flores nasci, quibus coroneris. Erant quorundam adeò fertiles

plantæ, vt quidquid calcarent roſam produceret, Tibi omnia quæ in manum admiſeris, veriori fertilitate recreſcent in Lilium. Hoc etiam obſequentis Tibi ACADEMIÆ officium, vbi benigna dextra dignatus fueris, ſi quid laudi tuæ minus floridum eſt, à manu tua accipiet amænitatem. Mea quoque, vnà cum publicis, Illuſtriſsime Domine, in herbeſcente adhuc ætate obſequia, liliorum commendatione, beneuolè admittes, & tot mentibus, quot vniuerſitas gerit, animatum, in Tuorum numerum admittere, alienum ab hac quam geris dignitate non putabis. Ad liliorum enim, quæ florum reges Poëta appellat, maieſtatem attinet, minorem horti populũ, clementi aſpiratione in ſuum vocare famulatum.

Illſſmæ ac Rndſſmæ Celſitud: T.

Obſequijs paratus

IANVSSIVS STANISLAVS HARABVRDA
Auditor Eloquentiæ Acad: Vilnen.

HORTVS FAMILIÆ.

DVM Te magnum Senatorem celebris adorat Lithuania, & in salutationem liliatas præmittit dexteras, amæniùs inter tua lilia, & florentium animorum hilaritatem, deuotæ Tibi Academiæ creuit Salutatio Ill^{mo}me Dñe. Quidni in laudes tuas efflorescat, quæ sub flore suam in te vult commendare amænitatem. Habet certè suos Oratio flores, quibus Te inscribat; sunt qui Te componant de literis literarum Patrem: Sed pulchrius tuis inscriptum liliis, magnitudo gloriæ tuæ legendum Te proposuit. Ingredior itaq; nobilissimum Lilietum vestrum, vt magnorum Heroum nominibus inscriptos legam flores. At quid potissimum in amplissimo Horto vestro admirabor Illustrissima TRYZNARVM Lilia? Eripit vocem in ipso limine maiestas gloriæ, & audaciam attenuat eloquentia, cùm in magnificam laudis formam Lilia vobis sponte efflorescunt. Jamq; cogebar in eorum ire partem, qui pretium rerum stupore, magnitudinem admiratione venerari solent: nisi pulcherrimus herbarum nexus, splendidum horto vestro scripsisset titulum, & iucunda viriditate oculis necessitatem imponeret legendi. Nouo siquidem naturæ miraculo, Lilia in fructum literas generarunt, ex quibus viuum prodiret Elogium: Ad MAGNA NASCI TRYZNARVM EST. Didici itaq; interprete Lilio vestro, magnas hic nasci animas, & vel solo floris apparatu dignissimos in publicum prodire TRYZNAS. Hic enim verissimæ nobilitatis labor est, difficilibus atq; arduis procreari, neq; consortium pri-

uatæ labis admittere debet, quod eminentioribus splendidè natum est. Ita crescunt Lilia vestra, quæ plebeijs altiùs supereminent herbis, & vulgo submota, proficiunt vsq; ad Regium inter flores nomen: horti enim vestri ad magna incrementum est. Et magnis certè flos vester semper nutriebatur honoribus, dignissima Senatorij ordinis ornauit subsellia, neq; amplioris officij sedes erat, quam non merita vestra obtinuissent. Ad tanta autem vos Illustris vester sanguis instruxit, obsequia in Patriam deduxerunt, exempla maiorum commendarunt. Non aliter sicut herbis euenire solet, dum aliæ sublimiùs eunt, aliæ veluti spectantes quâ progrediendum sit humilius sequuntur, omnes mutuùm inspiciunt, vt æmulentur, & genium infundant imitationis. Et quamuis Lilium Pij Augusti in nummo spem publicam Romano Imperio ostenderit, tutiùs tamen Respublica Polona sperabit in vestro flore, qui lineamenta in nummo non requirit, vt sibi spem emat, aut pretio in æstimationem & fidem excrescat. Satis est virium virtuti vestræ, vt in spem publicam sufficiatis sine nummo, quos Patria præstantiores nummis habet. Neq; tamen prorsus eripio Lilieto vestro Lilium Augusti, cum in Illſſm̃a Domo vestra augustiores Augustos numerare possum. Quid enim Illſſm̃us PETRVS TRYZNA PALATINVS PARNAVIENSIS? non ne spem publicam in nummo Patriæ alebat? cum vtili thesaurorum suorum iactura commodum Reipublicæ quærebat? Amplissima illi manus spargere nummos ad numerum liberalitatis, in quibus Lilia ad gloriam crescerent, & aurea merita in Patriã sonarent. Exiguam ille & infra animi sui magnitudinem illam liberalitatem posuit, seipsum impendere saluti Reipublicæ, nisi etiam secum sua impenderet, vt coniunctis in maius robur auri & ferri viribus, splẽdidè

didè & fortiter integritati Regni militaret. Non illi parsimonia fundum faciebat, quem amor Reipublicæ liberalem fecit; non tenuitatem parcitas persuasit, cui sacra auaritia publicæ fortunæ curam consulebat. Ita prodigus est qui se filium agnouit patriæ, ad tam magna venire manu potest qui altiore sensu nobilitatis, intrauit gloriæ veritatem. Athenienses Ducem belli Phrynicum posuerunt propter solam canendi peritiam; nonne suauius canit publico solatio, qui neruum belli mouet pecuniam, patriæ in præsidium. Oraculorum quondam sententia fuit, ad victoriam argenteis pugnare telis; nunc Tryznarum, quibus & argentum contra hostem, & pectus ferreum sufficiens, Et certè Martij ingenij est, id pro stipendio ducere quod amisisti; Compendium reputare quod communis necessitas dispensauit. Aureum te fecisti Patriæ Illustrissime Palatine & alter Augustus expectationem spei liberaliter expleuisti, vnde non immeritò audias.

Thesauri nunc sunt collecta pecunia, Regnis,
Thesauri fortes ante fuère viri.
Nunc quoq; si pretium dare vellet iustior orbis,
TRYZNAM thesaurum diceret esse suum.

Nondum sterile in viros seculum Tacitus condemnabit, in quo Tryznæ florent: nondum effæta natura Plinio erit, cùm laudatissimos, Hortus vester producit Heroas. Habet enim quod ingentibus oculis exhibeat, cum senatum summorum virorum altiori maiestate orbi porriget; si tamen porrigendi sunt illi, qui in oculis Regni totius semper steterunt gloriosi. Vidimus immortalem illam animam GEORGIVM TRYZNAM Marschalcum Slonimensem; qui magnæ fortunæ arbitrio, in Campo Martis, ingentem fortitudinis opinionem consecutus est. Pulcherrimam enim ille militaris gloriæ laudem, laboribus bellicis sibi fabricauit,

 bricauit,

bricauit, cùm adolescentiam inter pericula educaret, iuuentutem Moschouitico & Vallachico bello consecraret, vt tam illustri obsequio Stephano Poloniarum Regi, & Patriæ pretiosus esset; Nonne satis magnificum incrementum est? primam ætatem spei publicæ enutrire, & vt pectoris sinceritatem experiatur patria, per sanguinis dispendium in testimonium ire? Quantus oculis nostris magnum Lithuaniæ decus, PAVLVS TRYZNA? qui in egregij pectoris comendationem, CASTRORVM PRÆFECTVM publico gessit officio. Et digne tam eminens cura tanto pectori incubuit, vt essent quibus salus Prouinciarum sub custodiam crederetur: & castra animo ferret, qui castra metari inter delicias haberet. Ita nihil deest ad commendandum Hortum vestrum quod non natiuum sit, & de proprio vos esse MAGNIFICOS appareat. Crescant æternitati lilia vestra, vt maturas summis rebus offerant vires. Poëta inscribet lilio.

Quid prognata velint in vestris Lilia ceris,
  Ferre potest causam candor, odorq; suam.
Clara viris meritisq; stetit Respublica vestris,
  Sunt TRYZNÆ decus, & dulcis odor Patriæ.

Duxi adhuc in eximium hortum vestrum Garciam Sextum Nauarræ Regem, primus contrà Diuini nominis hostes, Martio simul & cœlesti inuento; Equitem lilij constituit. Sed se vix Regem putauit, vbi nouum Garciam Illssm̃um Dñum NICOLAVM TRYZNAM, Thesaurarium Magni Ducatus Lithuaniæ, in bellicosissima stirpe vestra conspexit. Pari ille ingenio, octingentos grauioris armaturæ Milites, contra Moschos, & Suecos, in defensionem Reipublicæ sub lilio duxit. Quantus tunc in hostem, quantus in arma fuit? cum spiritum omni periculo audaciorem animosus ferret, & strenuè Reipublicæ viueret, Ruebat tunc animosæ

animosæ menti, quidquid alijs metus horrendum posuit; addebant audaciam pericula, Mortes vitam infundebant, & quod aliorum animis ruinam fecit, ipsius roborauit. Tam fortis est, quem spiritus patriæ animauit, tanta audet, cum quo gloriæ cupiditas militat. Non soli Clodoueo scutum Lilijs floruit, florent etiam nunc TRYZNANA, & hostium sanguine irrigata, in hostiles animas reuiuiscunt. Quid ad vincendum toties audaces Moschi? porrigebatis vobis fatalem herbam, velut alij Lacedæmones, vt victas manus non armis sed herbis ferendis vix idoneas erubesceretis: spectastis lilium, & palmas agnouistis. Quid feruidiores ad arma Sueci? bellum excitastis, vt vinci vos puderet; sperastis messem victoriæ in herba, sed à lunæ radiis maturescere non potuit, contagionemq; haustis potiùs quam odorem liliorum. Ita TRYZNARVM LILIA habent odorem quo reficiant patriam; habent horrorem, quo vulnerent hostem. Sanè ridiculus ille exercitus, qui arundinetum pro castris, metu malè interpretante, pedibus ad fugam exhorruit; sed à LILIIS profligati, quam ridendi sui exhibeant materiem? Audies igitur vir fortissime sæculorum laudem, qui ruinis hostium æternam tibi fundasti imortalitatem. Leges gratæ tibi Patriæ testificationem, quàm vt verior THESAVRARIVS esses, in curas pro thesauro recepisti, receptam signasti securitati. Non deseret Te claritas tumulatum, quam superstes ferro elaborasti: obliuio non eripiet, quam armis expulisti, & sepulchrum magni pectoris hospitium Lilia demonstrabunt. Quibus fama adscribat.

In campos proprium demitte Polonia visum;
  Nunquid non campis lilia digna tuis?
Arma salus tibi sunt: at pulchrè publica Regno
  TRYZNANO potuit crescere flore salus.

 Sunt

Sunt qui lilia pro ſceptris gerunt, & ad maieſtatem Regum exornant diademata: & decet reges florum, vt regali floreant manu, & Regium coronent caput. Tutiſſimum enim omne, quod intra manus Regum eſt, & feliciter deponitur, quod in caput admittunt Reges. Quis vero non veſtra LILIA Regiam circumſtare coronam affirmet? quoties Illſſma Domus veſtræ decora, Regum exornarunt aulas, & bene meritis regios animos ſibi deuicerunt? Diceret MANIPVLVS cui ad obſequia vos alligaſtis, vt prima æſtas veſtra, ſub Regum ſerenitate maturitatem acciperet. Nam ſi credendum eſt cuipiam Reipublicæ imaginem contemplanti, Regem ex ſubditis formatum eſſe: & Præfectos quidem vicem oculorum ſubire, Iudices pro auribus, Senatores ad motum mentis eſſe. Quid Illſſmi CONSTANTINVS & THEODORVS TRYZNÆ, alter Podlachiæ, Smolenſcenſis alter CASTELLANVS? nonne Regis corda erant, quia Senatores? Quid GEDEON & PAVLVS TRYZNA? Dapifer M. D. Lithuaniæ vnus, alter dapum Inciſor? nonne illos Regias manus eſſe, officiorum argumentum comprobabit? Nec mirum inter Regalia inſignia, LILIVM quoq; veſtrum miſceri, Cum enim Plutarcho Rex in ſolio ſol ſit, quæ altius creſcũt, ſoli propiora ſint neceſſe eſt. Etiam ſi in quæſtionem veniret Virgilius,

--- quibus in terris inſcripti nomina Regum
Naſcantur flores? -- -- -- --

Illſſmæ domus veſtræ LILIA pro ſe loquerentur: in quibus Sereniſſimorum Regum Humanitatem, Beneuolentiam, (hæc enim nomina regum ſunt) creſcentem, & veluti inſcriptam totum legit regnum. Non creſcũt Lilia niſi ad ſolem, & Serenitates Regiæ floribus lucere non poſſunt, niſi in illis ſuam ponant lucem. Et iam

Non

Non solæ terræ gestabunt Lilia, Regum
Scit manus, & magnum lilia ferre Caput.
Quantus sunt regno TRYZNARVM LILIA splendor!
Quando Coronari flore Corona cupit.

Tu quoq; nobilissimum Lithuaniæ sidus Illstrssime MARTIANE TRYZNA: quantum familiæ hortum exornasti! Vbi de te cogito, magnum mihi Theatrum exhibes dignitatum. Video enim candidissimum LILIVM TVVM, publico admotum Sigillo, cuius præstantissima gemma, ita resplenduisti: vt non soli adamantes essent, qui nobiliori metallo darent lucem. Priuatum reputasti bonum, suo magnum esse honori, in multorum vero vtilitatem crescere, vitam esse liliorum: ac proinde, vt Lithuaniam tuæ curæ obsignares, Sigillum Lithuaniæ admisisti. Effloruit præter temporis consuetudinem, hortus Cosmi Medices, vt illi Florentiæ principatum in flore maturaret: Tua LILIA creuerunt, vt te VICECANCELLARIVM Lithuaniæ coronarent. Vt vero ad plenum gloriæ flos tuus perueniret, par erat illum in sacris conspici fastis, vt cœlos quoq; afflaret, quo iam olebat terra. Habent enim quiddam sanctitatis LILIA, vt innocentiam nutriant, cœlestem Agnum qui pascitur inter lilia. Et videntur mihi sidera amœnitatem induisse, dum in vernantissima familia vestra suum ver conspexerunt; Quantum vero Hortus vester incrementi polliceri sibi debet, cui astra ipsa serenitatem afflant! quantum spectare Ecclesia cui sidera ornamentum fouent: Magni quidpiam præsagire videtur animus, & nouo plenus æstu ad Lyram vel inuitum rapit vatem.

ODE

Amœnitatem Horti Tryznani explicans.

DAmnate cæcum barbita veſperum,
Fides ſub artem tendite, præuiæ
Errore dextræ, dulce carmen
Magnificas date præter aures.
Loquuntur auræ: luditur, & ſuas
Iam iam recurrit ars vaga per fides,
Sibiq; reſpondere Nerui
Tryzna mei mihi Tryzna cantus.
At quis virenti contra oculos ſtetit
Hortus corona? duxit in areas
Ordo voluptatem, refixæ
Hiſtorias recitant tabellæ
Rerum beatas: pinxit originem
Vetuſta magni gloria ſanguinis,
Ceraſq; auorum, reſq; geſtas,
In varias dedit ire claſſes.
Audax in ipſis hæreo vultibus,
Mentem virorum ſuſcito conſciam,
Diu ſciendis hæſitauit
Mens animis, & imago fallax.
Sic fluctuantem me & dubium mei,
Magiſtra rerum Fama, leuans ſuis
Mentem peregrinam tenebris,
Voce viros loquitur perita.
Hæc eſt ſepultæ neſcia gloriæ.
Magniſq; ſemper nominibus potens,
Tryznana Maieſtas parentum
Egregijs bene nota ſellis.

Hinc

Hinc nemo vitæ natus inutili,
Nemo paterno publicus angulo
Expendit ætatem: indecentis
Desidiæ reus atq; labis.
Et siue nunc is sit generosior,
Maiorq; laudis qui vitiosior,
Malis resistat nil inausum,
Nec fluidum bonus auocabit.
A labe passum: militat efficax
In crimen orbis, dant animos mali
Exempla facti, sæpe vidit
Discipulos scelus omne multos.
Nunc æmulantes de vitijs, nefas
Commune ponunt; & paribus male
Certant triumphis, attigisse,
Aut vitijs superasse laus est.
Sub lege liber. Nemo animi suus,
Regnoq; mentis seruitium imperat,
Et iura libertatis, infra
Imperium sceleris recumbunt.
Virtutis hæres rarus, opum frequens;
Pulchreq; natum, non auido calet
Pectus decoro, non paternæ
Vena animæ est ad honesta proli.
Non hic potestas imperat hæc: bono
Deuota TRYZNÆ pectora nomini
Magnasq; sic scripsere mentes,
Marte Genus viget atq; laude:
Et iam probatos viuere publica
Sub luce: splendor dignius extulit,
Magnos Senatores, & altos,
Corde Duces, animoq; Martem.

Et hic, decorè cui dominam manum
Honor Serenat publicus, & caput,
Pulchrum Tiarâ. MARTIANVS
TRYZNA Atauûm Proauûmq; ſplendor.
Videte quo ſum ductus amabili
Sermone famæ? rurſus in aureas
Recurro rurſus MARTIANI
Nominis ingeniјq; laudes.
Fides ſonoræ ludite, dum licet,
Dum vana curis, otia ludite,
Dulciq; motu aduerberatis
Fama Lyris Dominum loquatur.
O ergo magnis TRYZNA Parentibus,
Ardens paterno tramite gloriam
Adire, Maiorumq; plenis
Spiritibus penetrare laudem?
Procede magnus: & ſimilis tuis,
Ad alta pectus ducito nobile,
Famamq; famâ, luce lucem
Laude pari fabricato laudem.

FAMILIÆ HORTVS.

Ab Illuſtriſſimo & Rn̄dm̄o Procancellario Decus & Ornamentum.

ΠΑΝΤΟΤΕ ΑΝΘΗΣΕΙ ΕΝΙ ΤΡΙΖΝΩΝ ΛΕΙΡΙΑ ΚΗΠΩ:
ΗΛΙΟΣ ΕΣΤ' ΙΕΡΕΥΣ, ΛΕΙΡΙΑ ΦΩΤΙ ΦΥΕΙ.

Item.

Lilia florebunt TRYZNARVM ſemper in Horto,
Sol eſt Antiſtes, lilia luce fouet.

HOR-

HORTVS PALLADIS.

MAgnum Te licet ad publicam lucem splēdor maiorum tuorum deduceret Illſſme Antiſtes & Senator, Nondum tamen ad curſum gloriæ ſatis te inſtructum putaſti, niſi literarum maieſtatem, in contubernium clariſſimæ nobilitatis acciperes. Noluiſti ad tam altos honorum gradus ſolo ſanguine niti, niſi ſapientiæ vires aduocaſſes: vt ſtatim Reipublicæ fulcra oſtenderes, quibus eam ſuſtentares, Neq; alia neceſſitas pulchram tibi indixit peregrinationem, vt vrbium Dominam, mundiq; caput reſpiceres, extraneos mores videres, & in Romano ſapientiæ Capitolio, Diuinarum ſcientiarum Principem Aquinatem perdiſceres. Debueras enim in arce mundi magnus comparare, & illum Spiritum, quo fortia & loqui & facere Romanum erat, prægustare. Quantus tibi tunc animus publicis ſe ipſum formare commodis, Ingenium ad Rempublicam, & ad ſcientias facere, linguarum varietatem, pulchro nexu & peritia natiuæ coniungere, Ne ſolus Demoſthenes eſſet cuius ore Græcia loqueretur; aut ſoli Neapolitani ſapientes patriam gubernarent. Liceat igitur Illſſme PRÆSVL diuinare, & magnum Reipublicæ Oratorem appellare.

Non ſe Romanus iactet Cicerone Senatus,
  Non ſolus voces hic Ciceronis habet.
At neq; ſola ſui Demoſthenis ore loquetur,
  Græcia: ſi Auſonium TRYZNA referre poteſt.
Tu quoq; non muta es Lechi Reſpublica TRYZNA,
  Multa habet in cauſas ora diſerta tuas.

 Et iam

Et iam securiùs tuis humeris incumbunt grauiores Reipublicæ curæ, tu prudenter sustines. Jam magna negotia tuo supplicant consilio, tu securitatem prouides. Iam sacra vertici superponitur tiara, vt prodat enutritu literatis cogitationibus ad Infulam Caput, tu dignè excepisti. Nam quod caput honor digniùs exornauit, quàm illud, à quo Respublica præsidium esset habitura? Quis verò non beatum Regno statum ominetur; vbi præmia ex merito sunt, neq; aliud optimi & sapientissimi Regis argumentum, quam boni sapientesq; Senatores? sint sanè, qui vt splendidius incedant, aureis ad dignitates eunt gradibus, vel vt cursum sine lassitudine absoluant, difficilem sapientiæ euitant tramitem; fortius progredietur, cui doctrina ad gloriam gradum admouet, & gressum literæ succinxerunt. Neq; nouum est quibusdam, vt cum purpura induant verecundiam; qua miseram animi erubescant sortem, cùm ad honorum lucem non inueniant literarum apparatum, illi enim ad id publicis officijs eunt, vt corpus ad honoris reuerentiam tractent, mentem cultu eruditionis destitutam cum pudore toties inspiciant. Quid illi? qui ne in vulgo lateant, arrogantia intumescunt, vt magnos animos ferant, ambitione eriguntur: ne in æmulum incidant, supra omnes efferuntur. Nonne ementitam inuocant lucem? vt quia mentis humilitate assurgere non possunt, tumore superbiæ efferantur. Altius respexisti SENATOR AMPLISSIME: cùm in literarum Choragio Magnificus esse voluisti, & ad grauitatis ostentationem, Sapientiæ autoritate animum stipasti. Non paruam ostendisti solertiam, cum ingenij ope lucem quæreres: vt non genere tãtùm, sed re, & ore Te TRYZNAM ostentares. Vtere igitur SAPIENTISSIME SENATOR erudito animo, orna Rempublicam verissimis prudentiæ ornamentis,

mentis, vt in horto quoq; vestro Pallas se gaudeat constitisse. Agnouit vos Respublica manu milites, animo duces, audiet sermone Senatores. Nos inter eminentes dignitatum fasces Palladiã nectemus lauream.

Quæ non ad doctam properaret Laurea frontem?
Si foret ad frontem, Laurea digna tuam.
Non opus est sertis alienam quærere laurum,
Nam tua quæ tibi sunt lilia, Laurus erunt.

Et quem digniùs honorabunt literarum obsequia? aut cui laudem exactius laborabunt, si te patronum prætereant? Non adeò sunt impolitæ liberales disciplinæ, vt, etiam dum transeunt, Te non adorent, cui securitatem debent. Ostendisti enim te defensorem, cum inermes literæ iniuriam paterentur; Stetisti pro libertate, dum contra iura ageretur; amorem fassus es, cum in partem sapientiæ sollicitas curas retorqueres. Agnouit hoc beneficium Academia Vilnensis Societ: JESV: nec vnquam magis liberè se mancipauit, quàm cùm se tibi obstrictã perpetua gratitudine aduerteret, & hanc felicitatem obtineret, vt tuæ laudi seruiret. Habent iam suum Herculem Musæ, qui non minus robusti animi putet esse, cogere ad ruinam muros, quam Arces literarum conseruare, hostes sternere, erigere sapientiam. Habent, qui æqualis operæ præmium censeat; Lauro exornari, & Ciuicam, aut Muralẽ Coronam, in commendationem fortitudinis accipere. Neq; potest tam alta pro sapientia cogitare, nisi qui sapiens est. Cui enim inter augustas Reipublicæ curas, communis esset literarum & boni publici cogitatio? nisi qui felicissimè vtilitati Reipublicæ ingeniosus esset. Quis patrocinium sapientiæ promitteret? nisi qui Pater literarum dignissimus haberetur. Aperuisti hac pietate literis ad Te viam, quâ Te semper comitentur & fortem manum quam in tutelam porrexisti, au-

daciùs adibunt. Jta ingenio gloriam vbiq; promoues factis magnificentior, quàm auspicijs; Alexandrumq; superas, qui preciose Homeri librum conseruabat, non fortiter. Nemo citra contumeliam dicet, Hortum Tuum sterilem esse, in quo ex LILIIS Tuis nata est pro sapientiæ templis securitas: Nemo angustam iudicabit gloriam, quæ etiam in ornamenta literarum sese diffundit, vt non maximi tantum nomen retineas magnitudine lucis, sed & optimi communicatione. Multum adhuc debent Tibi literæ Mecænas colendissime: quas eo euexisti, vt senatorem tecum agerent, & Pontificia coronarentur mitra. Quàm felices tunc triumpharant curæ? quas pro sapientia in capite Infula coronasti, & cum Sigillo Lithuaniæ in magnam manum accepisti? Jam si verum Sallustianum illud est; LITERÆ FVLCIVNT ÆTERNITATI, pro Te dictum puta. Si quos habet fontes eloquentia, tuis LILIIS spera vigorem sempiternum. Dabis interim vacuas & amicas aures Musis, ad Lyram Tua LILIA celebrantibus.

ODE

Jn qua Laudes Sapientis canuntur.

FAlluntne mentem? num vacuæ sui
Vmbræ pererrant? quis mihi inhorruit
Aulæ tumultus? quæ eminentem
Turba retro dominam sequuntur?
Illi supellex aurea, floridi
Lauro capilli, vultus amænior,
Ridet voluptatem, nouemq;
Stant domino lateri sorores.

Agno-

Agnoſco magnæ nomina Palladis,
Agnoſco Muſas. Sed, quod acu nouum
Opus laborant? ſumptuoſo
Feruet honor grauis vnione;
Gemmæq; gemmas, & venerabilem
Incendit artem ſol adamantinus;
Ardet peregrinis Tiara
Diuitijs ſatis erudita.
Semperq; prodit ſe ſpecioſior,
Nouisq; ſemper peruigil ignibus,
At ſic ſedentes ad laborem
Artifices cecinêre Muſæ.
Non ille demum venit ad vltimum
Laudis theatrum, quem titulis genus
Promouit altis, aut in ipſa
Aura tulit popularis aſtra.
Æterna labes: ſi ſimul aſsidet
Ad purpuratum pectus inertia,
Vnaq; maieſtate honoris,
Inſipiens ſapiensq; riſit.
Claram recludet luce Calumniam
Illiteratus, ſidere perpuræ,
Vehatq; magnas eminenter
Plebeios animos per vmbras.
Semper beatus: cui ſolidè ſacras,
Cultum per artes pectus, & æmulam
Sibi maritat lirerarum,
Nobilitas animusq; lucem.
Non ille turpis ſeruus inertiæ,
Efflagitatis diues honoribus,
Labi ſerenas quæret vmbras,
Cultu animi miſer eruditi.

Magnus videri, qui ſapiens; ſuæ
Vir eruditus regna ſcientiæ
Habet. Sibiq; adſtat pro honore
Scena animi ſapientioris.
Implere Mitras frons generoſior
Quæ docta. Multis pectora literis
Attrita, rubræ purpurarum
Digniùs incubuêre luces.
Non indecorus progrederis: Te Honor
Vbiq; grandi proſequitur gradu;
Laudesq;, & ingentes beati
Nominis adcomitantur aulæ.
Ad dignitates Te comes aureas
Doctrina ducit: viuere publico
Bono potentem, ſtrenuumq;
Magnificis humeris paternum.
Fulcire cœlum: creſcite LILIA,
Matura tantis LILIA honoribus
O TRYZNA lauro, LILIISQ;:
In celebres reuireſce palmas.

LILIA TRYZNARVM.

In Palladis & Sapientiæ Horto ſecura.

ΕΝ ΤΟΥΤΩ ἈΝΘΗ ΒΑΣΙΛΕΥΕΙ ἈΚΙΝΔΥΝΑ ΚΗΠΩ
ΠΑΛΛΑΣ ΕΟΥΣΑ ΟΠΟΥ, ΧΗΜΑ ΝΟΤΟΣ Τ᾽ ἈΠΕΩΝ

Idem.

Hoc vno tuti flores dominantur in Horto,
Namq; vbi Pallas erit, Bruma Notusq; aberit.

HOR-

HORTVS PATRIÆ.

NIhil fortè militari gloriæ detrahet, qui Patriam nostram ferro asperam & indomitã, delicata horti mitigârit appellatione, & à gladijs, qui in Polonæ amplexu dexteræ radicem fixerint, ad flores molli transferat oratione. Cognati nempe ferro sunt flores, & nullus ager commissum semen inuiolato & iusto gramine in spicam educauit, quin constanti prius vulnere, & plus vnâ cicatrice, ferreum exceperit vomerem. Gladij nostri, tela, & quidquid Mars armorum iustâ explicat acie, instrumenta sunt, quibus tot Agricolæ quot milites, plantant Regna & Imperia; palmas serunt, & victorias; Sectis priùs & distributis, in tot areolas, quod pagos & ciuitates prouincijs. Hinc ille Romani Dominij flos & vigor ab agricolis plantatus Fabricijs, eò tandem continuis incrementis suum promouit fastigium, vt tanto orbem exiret vertice, quanto capitis arx, subiectam despicit membrorum molem, nempe summo. Enim verò vnde hæ tot porrectæ spatiis in pulcherrimam tot vrbium fertilitatẽ Prouinciæ? vnde in tot exspatiata gentes libero imperio Polonia? vnde hæc pacis vbertas qua tot annorum sustentamus tranquillitatem & otium? Ad lucem nempe ferream adoleuit & victricibus folijs vmbram misit in aëra, cumq; maiorum nostrorum sanguis spem tantùm fertilitatis leui gramine protrusisset in apertum, nunc demum ad Serenissimi VLADISLAI victorias, velut solem tam maturo fructu consumatam accepit altitudinem, vt liberalem semper subministrarit admirationem, quâ vicinarum gentium pasceret inuidiam; quorum hortis licet sol vicinior calorem li-

beriori indulget radio nostra tamen hyems tali incalescit æstate ad æmulationem, vt quamuis exterarum partium horti arborum diuites nostrorum quoq; alant ædificiorum Maiestatem, quos natura immitiori sidere damnauit ad hyemem, nulli tamen Polonia palmam concesserit vnquam, nulli herbam porrexerit: licet hinc Turcica Luna terribili nube imbres cogat in procellam & nimia sæpe instet Horto nostro, hinc Moschus inimicam hyemem mordaci acuat gelu in nostros flores, integer flos Polonæ libertatis, nullo interpellatum Nouēbre Maium inuiolata retinet areolarum fide. Quis hic florem nobilitatis arcto compendio in strictum vrgeat manipulum, vbi iucundo errore in semetipsum implicatus tot areolarum, quot familiarum Labyrinthus cæco semitarum gyro oculorum destituit curiositatem, & dum varietatis voluptas distrahit visum in singula & ambiguam hinc inde transfert oculorum curam, fit vt imperfectâ notitiâ nullam trasfundat in animum voluptatem. Longum esset tot illustrium familiarum stemmata sollicito digerere ordine vt iustis in hortum consentirēt areolarum, legibus; & hinc flores varij velut in cuneos secti pulcherrimã aciem explicarent, hinc arbores amænâ vmbrâ à sole in terram proiectæ mediũ suæ scenæ amplexu interciperēt viriditatis theatrum: nec sepium deesset fidelitas, quæ arceret furum petulantiam, nisi Sarmatæ generosa libertate hanc in pectora sua transtulissent appellationem, qui toties probarunt orbi Polonum non alios habere muros præter pectora, inuicta sanè propugnacula, quæ vbiq; parato robore circumferunt nunc si opus obijcienda hosti nunc ad eludendos ictus prudenti ignauiâ submouenda; saxa certè cœca pertinatiâ excipiunt Martis iniurias, quia saxo inutilis victoriæ mora. Verumenimuero quanquam reliqui flores non humili, enitantur gramine ad

cœli

cœli affinitatem, Tuum tamen Ill^{mè} Procancellarie Lilium eo possedit fastigio aera, vt infra radices suas eximiorum etiam florum sublimitatem reliquerit. Dignum, cui pridem venusta subiectione omnis Hortorum Respublica regiam deferret appellationem, hinc est vt Galliæ sceptrum quà latè sese porrigit, Lilij decore explicetur; hinc vt per rerum compendia expeditior currat calamus Tuum Ill^{mè} Vicecancellarie Liliū, vicinum semper Polono Sceptro, Principatum multis, iure quodam famulantis tibi fortunæ, nullâ vicessitudine interrupto, semper prætulit. Quot hic seculorum mouenda esset memoria, quæ monumentorum euoluenda fides antequam per omnia eniteretur dignitatum fastigia oratio, quibus Patria Tryznarum Lilium attollebat, ne lateret vnquam illud, quod vicinâ comparatione longè illustrius omnem Salomonis gloriam extinxerat, toties triumphaturum in Regno nostro, quoties in TRYZNIS emeritam virtutem sublimi honorum eminentia, & vltro obiectis dignitatibus Reges approbauerunt. Et sanè si quis præteritorum memoriâ seculorum auidam sciendi vellet pascere curiositatem, videret Tryznani Lilij decus, quod nulla vnquam libauit hyems, immutabili temporis linea integram continuare pulchritudinem, & in te tandem tali desinere maturitate, quæ firmissima prosperi successus morâ, ac perpetuis gloriæ accessibus fortunam ab opinione absoluat inconstantiæ nisi forte ideo cuipiam inconstans videatur quia nunquam quiescit indiuidua tuo lateri comes, in quæcunq; culmina Tua Virtute, Maiorum promoueris gloriam. Erigant oculos ij quos otium & desidia lento motu educauit in papauera quibus licet caput spectabili globo, non mediocrem adoleuit in globum, & non exiguâ in cerebrum intumuit magnitudine, at ignauus sopor festinato puluere pressit in somnū,

eam, quam Maiorum industria expediuerat ad gloriam, indolem. Tu interim PRÆSVL Illmme, gaude tuorum vigore Liliorum, atq; Poëtæ super ijs canenti, quâ soles benignitate ausculta.

ODE

In Laudem TRIZNARVM Patriam, Remq́publ: LILIIS suis illustrantium.

ET nostra quamuis proximus inuido,
Horret Bootes frigore, non truci
Aspexit æther prata vultu,
(Sarmata quà faciles aperto
Campus retexit gramine limites)
Quamuis & arcto sæpe gelu hæreat
Captiua tellus, feriati
Gratia rara licet Fauoni.
Tumultuosi bella sed Africi
Trucesq; Cori turbine mutuo
Immisceant, & militares
Instruat inde Notus procellas.
Hinc se coacta grandine plurimum
Ferat timendus, seu Aquilo seu
Flatuq; nimboq;, atq; vtraq;
Thrax Boreas metuedus alâ:
Et nos serenâ fronte benignior
Phæbus reuisit, nec radios comâ
Spargit per arua tristiore
Seu rapido vehat hora vernum
Temone sidus, seu nimium tenax
Labi, citatum præcipitet pedem
Æstas; superbum densa crinem
Surrigit ambitiosiores.

At tu

At tu decoro vertice eburneam
Extolle frontem Lilium & hiſpido
Subtus iacentem crine terram,
Et famulæ tege regna Floræ.
Pronam volenti iam tibi Gallia,
Frontem recuruat poplite; gemmeo
Hærere gaudes ſiue ſceptro,
Siue tuis animata turgent.
Vexilla ſignis, ſeu vbi Lechicus
Rotat ſuperbos Viſtula vortices
Aut non reuerſuras fugaci
Vilia voluit aquas tumultu
Tutis, fideli ſtemmatis in ſinu.
Te TRYZNA ſeruat floribus, & comas
Quà regias ſcirpus, decenti
Explicuit ſpatiatus vmbrâ.
Late per auram. Quantum ibi proximo
In aſtra paſſu niteris, arduis
Inſiſte cæptis, donec omnes
Indomitâ ſpecioſus irâ.
Inter ruinas Sarmata, & infimi.
Sepulchra mundi ſtabit & omnium
Confuſa calcabit tuendus
Funera, perniciemq; rerum.

PATRIÆ HORTVS.

Jmortalitatem ſpondet LILIIS TRYZNARVM.

ΑΛΛΑ ΑΠΟΘΝΗΣΚΩΣΙ, ΘΑΛΕΙ ΣΟΥ ΛΕΙΡΙΑ ΤΡΙΖΝΑ
ΕΥΚΑΛΑ ΟΫ ΑΚΜΗ ΑΞΙΑ Δ' ΑΣΠΙΔΙ ΣΟΥ.

Jtem.

Vt pereant flores, viuent Tua LILIA TRIZNA,
Pulchra vigore ſuo, Stemmate digna Tuo.

G HOR-

HORTVS ECCLESIÆ.

*F*Acilè patieris *Illʃʃme* PRÆSVL *Hortum, quem ingredimur, præ cæteris, quos ſpectauimus, vel beata illa veterum Tempe vel Elyſium dici. Vt enim Hortus Familiæ celebratiſſimis illis Adonidis hortis conferri, imò præferri poſſit: vt Hortus Palladis Heſperidum hortos, ipſum quoq; Herculem aureis ad ſe malis pellicientes ſuperet; deniq; vt Patriæ Reiq́publicæ Horto Alcinoi, vel penſiles illi Semiramidis horti, inter mundi miracula haud vanè relati, cōcedant; Hortus ſanè Eccleſiæ Chriſti ille erit, cui, ne exaggeratæ quidem veterum fabulæ, quidquam conferendum habent. Cœlos quidam de hortis ſibi hic faciunt,* cùm nec aſtrorum illi ignes magis niteant ſerena nocte, quam ſcintillantes micanteſq; variè in hortis flores, neq; ſciunt quid primū voueant? vt toti fiant oculus cum Argo? vel Naſus cum Catullo? ita vtrumq; ſcilicet ſenſum permulcet hominibus illa hortorum voluptas! *(Lipſius lib: 2. Conſt: c. 1.) Sed quid hæc ad iſtum Eccleſiæ Hortum? quē verius Suſan, quàm Mauritani quondam Principem vrbium ſuarum à lilijs appellâris. Videtur ſanè ipſe Cœlorum Imperator Diuinæ cuiusdam voluptatis gratiâ poſt primum illum à Protoplaſtis fœdè proditum hortum, hunc ſibi ſtruxiſſe, in quo non fabuloſo Deorum ſanguine prognati, ſed veri Numinis ſanguineo imbre irrigati pullulant flores. Quos inter ſi LILIIS Principem locum tribuero, ſequar vetuſtiſſimos ac prope primos Eccleſiæ Conditores Salomonem ac Moſen; quorum iſte Dei iuſſu candelabrum ductile de auro mundiſſimo fabricatus & aurum & omnes illius partes Liliis adornauit.* Exod:25. *Ille verò cùm geminas ex ære, ſuper omnes coloſſos, gentiliumq;*

tiliumq́ æramenta admirandas columnas ante templum statuisset, super capita Columnarum, opus in modū Lilij posuit, 3. Reg: 7. 22. *vt scilicet vterq́ decus atq́ ornamentum, & robur atq́ firmamentum quoddam Ecclesiæ in Lilijs situm non negaret. Non ignarus vterq́, eum qui istum Ecclesiæ Hortum accinctâ extensâq́ ad opus supremâ manu ad perfectionem deducturus erat, &* Regis, & Nazareni, *id est Floridi, aut Liliati titulo gauisurū. Cuius lectulus quoq́ floridus scribitur, & velamina, ornamenta, vestes cæteraq́ de liliis texta. Non desunt qui ob eminentē in isto Ecclesiæ Horto dignitatem, Liliorum appellationē mereantur. Quid enim in eo eminentissimâ Pontificum dignitate sublimius? Ad eum Tu Illſſme PROCANCELLARIE dignitatis gradum poteras naturæ, vel Spiritus tui ductu, dici vocatus, qui inter nobilissimæ domus insignia Lilia possederis. Poterat in Te aliquis Anchises tuus, feliciorem Maroniano illo Marcellum intueri, & leuiter flexis nominis Tui elementis exclamare.*

Tu Marcellus, eris, manibus date Lilia plenis.

Et illud Maronis. Eclog: 4.

Ipsa Tibi blandos fundunt cunabula florês.

Sed Tu memor semper illius Virtute decet non sanguine niti, *Sapientia magis ac virtute ad sacra honorum subsellia enitendū Tibi censuisti. Ecce autem! cum ad Trocensem & Geranonensem, Mallensis Infula accesisset, Illſſmo ac Rndſſmo D. ABRAHAMO WOYNA in amplissimo Ecclesiæ Vilneñ:* Horto, *Adiutor lectus es; Deo ita prouidente, vt cum vigilantissimus ille Pastor, non pastorali minus Pedo, quàm gentilitiis Tubis, quasi Cornibus & classicis venatoriis, feras Christi vineam, infestantes, feliciter exturbasset, Tu gregem Christi ad gentilitia florum Tuorum pascua recreares.*

ODE DICOL: DISTROPH:

Hinc Thraces animæ procul,
    Hinc ad Parrhasiæ limina Patriæ.
Plenis ite volatibus,
    Neu hac immodicus sibilet Africus.
Quâ TRIZNÆ viridarium
    Orbi liligeras explicat areas.
Hinc multâ face torridus
    Et prægnans epulo Sirius igneo, &
Gætulæ rabies feræ
    Stellatæ reuehant plaustra superbiæ.
Roris Lilia lacrymas
    Vdarumq; volunt pocula Noctium.
Quæ vel depluat Hesperus,
    Vel Titan vitreo promat ab æquore.
O florum nemus inclytum!
    O præclara spei symbola Lilia!
O messis niuis æmula!
    Qualem nec Pharij gleba ferax soli
Nec fæcundus Arabs opum
    Olim diuitibus condidit horreis.
Hæc plantata Trocensibus
    Argentum simulant lilia turribus
Hæc altaria Virginis
    Grato thurificant semper anhelitu.
Hæc ipso gremio poli
    Audent non humilem figere verticem.

LILIA TRYZNARVM.

Jn Horto Ecclesiæ florentissima.

ΛΕΙΡΙΑ ΟΣΤΙΣ ΌΡΑ ΘΑ̈ΛΛΟΝΤΑ ΕΝ ΑΣΠΙΛΙ ΤΡΙΖΝΟΥ,
ΛΕΙΡΙΑ ΚΕΙΝΟΣ ΟΡΑ ΚΑΙ ΑΜΑ ΗΛΥΕΣΙΟΝ.

Idem.

Lilia qui spectant vernantia stemmate TRYZNÆ,
Ille quidem cernit Lilia & Elysium.

